

*Calvinus* excludit intentionem internam ac privatam, qua Minister intendat, ac velit expresse effectum & finem Sacramenti, & ipsum etiam ritum externum Ecclesiæ formaliter, ut Sacramentum est. *Marcus Antonius de Dominis* I. 5 de *Rep. Christiana*, c. 12. scribit, non requiri privatam Ministri intentionem, sed publicam Ecclesiæ: *Hæc enim*, ait, actionem dirigit, non præsens intentio *Ministrantis*; & n. 13. addit: *Externam* actionem, v. g. lotionem in Baptismo, a profana ad sacram determinari non ex sola invocatione Trinitatis, neque ex intentione Ministri, quæ necessaria non est, sed ex intentione Ecclesiæ &c.

§. IV. Altera quæstio hic examinanda est, siue fides ad validitatem Sacramenti necessaria? Negaant unanimiter Catholici; affirmarunt vero: I. *Tertullianus*, qui *lib. de Bapt.* c. 17. affirmavit, nullum esse Baptismum, si ab Hæreticis conferatur. II. *Agrippinus Carthaginensis* Episcopus, qui non solum censuit, sed etiam definivit, rebaptizandos illos, qui Baptismum ab Hæretico Ministro accepissent. III. *Cyprianus Carthagiensis* Episcopus in Agrippini errorem lapsus est, teste *Eusebio* l. 7. IV. Volebant Donatistæ, Sacramenta ab Hæreticis administrata nullius esse valoris ac virtutis: Luciferiani e contra, licet Baptismum ab Hæreticis collatum admitterent, illorum tamen Ordinationem respuebant, teste *Hieronymo* in *Dialogo contra Luciferianos*.

§. V. De sanctitate in Ministro Sacramentorum tertio loco quæsitum est, an necessaria sit ad Sacramentum valide perficiendum. Concors Catholicorum sententia docet, necessariam non esse in Ministro sanctitatem, ut valide Sacramenta conficiat: etiam pessimum Sacerdotem, si intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia, valide Sacramenta conficere, & male bona ministrando sibi tantum nocere, non aliis, quibus Sacramenta ministrat. At plures Hæretici contrarium docuerunt. Donatistæ, ut testatur *S. Augustinus contra ep. Parmeniani* l. 3. c. 2. a Sacramentorum administratione peccatores arcebant, rati, nec valide peccatores baptizare, nec vere cetera Sacramenta conficere; hinc in ipsorum secta Phariseismus gliscere cœpit, & hypocrisis. Do-